

actionis principium debet esse in ipso agente; per quod con-  
tradistinguitur violento. Est quidem & ipsa scientia circum-  
stantiarum principium actionis; sed illa hic non intelligitur  
nomine principii. Alias enim hac secundâ conditione non  
fuisse opus, cum scientia non sit principium nisi internum.  
Intelligitur ergo nomine principii aliquid à scientia distin-  
ctum, quod est ipse appetitus, quo mediante scientia est causa  
actionum. Non requiritur autem appetitus rationalis sive  
voluntas, cum spontaneum latius pateat voluntario, sed suffi-  
cit ad spontaneum appetitus sensitivus.

20. Atque his de invito & spontaneo propositis ambigi  
potest de nonnullis actionibus, spontaneane illæ sint an invi-  
tæ, quando scilicet quis metu majoris mali aut spe alicujus  
boni aliquid facit, quod alias non faceret, ut si alicui Tyrannus,  
cujus parentem, uxorem, liberos sua in potestate haberet,  
turpe quid faciendum proponeret, nisi ipsorum internecionem  
experiri mallet. Sic Nauclerus obortâ tempestate vitam con-  
servaturus mercium vel etiam hominum, ut Jonæ Prophetæ  
accidit, jacturam facit.

21. Hæc & similia nec simpliciter sunt spontanea, cum  
extra talem casum ea nemo faceret: Nec etiam planè sunt  
invita, cum agendi principium in ipsorum agentium arbitrio  
sit relictum, ut eligere possint, utrum velint.

22. Philosophus vocat *πρᾶξις μικτὰς. εἰκόσι δὲ μᾶλλον ἐκ γοίσις*, hoc est, magis accedunt ad spontaneas, ibidem  
ait. Id majoris evidentie gratiâ sic probatur. Quibus tribui  
potest definitio actionis spontaneæ, & non item actionis invi-  
tæ, illa magis sunt spontanea, quam invita. Sed mixtis actio-  
nibus attribui potest definitio actionis spontaneæ, & non item  
definitio actionis invitæ. E. mixtæ actiones magis sunt  
spontaneæ. Minor patet, quia mixtarum actionum princi-  
pium est in agente gnaro circumstantiarum, ut cum nauta im-  
minente naufragii periculo, projicit merces in mare, princi-  
pium hujus actionis est in nauta, per quod movet externa  
membra, ut merces projiciantur in mare, novit etiam quid  
agat & propter quid agat &c. Quod verò inviti definitio  
mixtæ